Grotkowski Martini: Laurea academica ingenuo adolescenti Melchiori Męzyk contexta.

LAVREA
ACADEMICA,

INGENVO ADOLESCENTI
MELCHIORI MĘZYK Lublin.

DVM

In Alma ACADEMIA Cracou. à Clariss. & Excellentiss. D. SIMONE GOLKOWIC, Artium & Philos. Doctore, Seniore Cōtubernij Iagelloniani, Artium & Philosophiæ Baccalaureus solenni ritu renunciaretur.

CONTEXTA
à MARTINO GROTKOWSKI,
Stud: Eloqu.

CHRONOSTICHON.

Mense hoC LaVrigerI CLaros perCepIt honores
QVI Inter sIgna aLIa est, tertIVs InqVe LoCo.

1628

CRACOVIÆ,
In Officina Typogr. Matthiæ Andreouiensis.

M
CCLL
LLLL
VVVV
IIIIIII

ENCOMIVM DACTILICVM.

HVC
Adsis
Splendida
Pieriû m
Cingeque frontem
Lecta cohors Deûm:
Oc ba si is, Pa phi is,
Lau ri ge ris que co rol lis:
Nam ferit hic benè barbiton
Suauisonis mo du la mi ni bus.
Nomine Melchior è patre Mezicius, qui
Ingenio, pietate, dein nitet in dole. Hunc
Erudiit, vigilē, assiduum, Alma ACADEMIA. Nam
Dexteritate micat, probitateque præstat & arte;
Moribus æquat, & est quoq; (nunc iuuenis) patris
Par. Quid erit? domus & patriæ decus, intimū &
Subsidium, veniens grauidas ad aristas,
Huic tear aurea plectra sonoribus, &
Aonium ingeminat. iuueni melos.
Et Cytharâ bonus addit Apollo,
Indole captus & ingenio.
Hunc hederis igitur sacris
Cingite protinus omnes
Alma Academia quē,
Donat honoribus
Condecoransq;
Mu ne ri bus,
Lau re am
Primam
Dat.



Clarißimo & Conſultißimo

D. MELCHIORI MĘZYK, Conſuli Lublineñ vigilantiſſ. D. & Fautori obſeruandiſſimo.

FOntis Pegaſei cultor, generoſe laborum,
Aſtreæque nepos, gaudia fauſta cape.
Gaudia fauſta nimis cape, namq; arridet Apollo,
Inque tuo gremio, dona perampla fouet,
Nam licet illa tui virtus generoſa parentis,
Te queat excelſo conſtituiſse loco;
Quamuis & clarum genus, & ſpectabile nomen,
Clarus ab antiquis ordine ducis auis.
Vt meritò poſsis lumen Sydusque vocari,
Inter Lubliacos tempus in omne lares.
Plus tamen extollunt te Regia dona Mineruæ,
Fama quibus proprio parta labore fluit,
Munera docta tibi ante alias pulcherrima Pallas,
Fundit Apollineo, Mnemnoſynesque choro,

Gaudia læta tibi offert: nam quæ gratior aura?
    Quodque melos? & quis dulcior aure sonus.
Quid dubitas? tenerum se fundit laurea nati
    In caput: egregij præmia prima Sophi.
Quem modo quod probitas, studiūq; fidesq; regebāt,
    Cura patris facit, & conspiciendus amor.
Te patre lauriferi conscendit culmina montis,
    In quibus Aonidum ludit amica cohors,
Te patre: Te duce: Pieridum intima castra secutus,
    Perpetuus docti cultor honoris erit,
Et fortuna vides hilari quam arrideat ore,
    Et quam æquet mores, tam bene cultus honos,
Æternæ decus est natus virtutis alumnus,
    Desine, sunt animi vota peracta tui.
Ingenio, pietate, fide, meritis, & honore
    Dum crescit maior, munere crescet honor.
Tu quoque viue pater longos in Nestoris annos,
    Felices cernat læta senecta dies.
Dum spes magna tui, natus te sospite sospes.
    Splendescet, patrio clarus honore vige.

Ode Tric. Tetr.

INdustriæ nunc ecce patens tibi
Est præsto campus, tempus & aureum
Iam proferendæ; si quid audes?
Comproba: si quid in arte possis:
Si quid vales: vel dotibus ingenii:
Vel Tulliani gurgite fluminis:
Effare: nosti si Socratem: &
Pandere Aristotelem sagacem?
Quid plura? pulchris fulgere honoribus
Te cerno: adornat quem Alma ACADEMIA,
Dignum ipse Apollo splendidis, &
Concelebrat tua facta metris
Es dignus! Ornet quem fidibus Linus,
Cuiusq; laudi, nunc Polyhymnia
Det barbiton, vates Ryphæus
Quem Cytharâ celebret sonora.
Euterpe vt auctum nomen in vltimas,
Diffundat oras, flamine tibiæ,
Laudumq; concertet tuarum
Pieridum Elogijs corona.
Dignus! feraci nam ingenio, simul
Et mente celsâ, conspicuus nites,
Ast quæ indoles sit, quamq; velox,
Alma ACADEMIA testis est nunc.

Phœbus

Phæbus proin' iam munera diuidit,
Nectit corollas Mnemnoſynes chorus.
Et laureas fert docta phalanx,
Atq; Heliconiades ſorores.
Laudatq́; facundum os Cytharâ Orpheus,
Decantat altam tibia flexilis
Prudentiam, Euterpes, laborum,
Propoſitiq́; animum tenacem.
Perſiſte fortis, plura dabit tibi
Poſt ſerus annus, ſi fugias modo
Segne otium, cuncta improbus namq́;
Exuperat labor, ac triumphat.
Vt ſpina cingit molliculas roſas,
Sepeſq; acutas ac veluti facit,
Quas ſic obarmat, ſicq; munit,
Floribus vt dominam eſſe monſtret;
Spinoſo adactus, ſicq; labore honor
Prægrande pondus ſplendida gloria
Supponit vt ſepes, cum amaris
Dulcia; ſunt bona mixta prauis.
Aſt ille ſudor ſit licet arduus
Primo; tamen poſt tempora laureâ
Cingit, corollis muneratur,
Nec ſatis; inſerit atq; Diuis.
Quid peruigil non exſuperat labor?
Ecquis Molorchi monſtra domat fera?
Et dente aprum vicit tenaci
Quis nemora Arcadiæ opprimentem?

Sæuum Leonem quis Nemeæ fregit?
Horrenda monstris insuperabilis
Spelæa, tetros & recessus,
Herculeus violauit ausus.
Ecquis locorum est? inuia quæ via?
Quò non amicis pulueribus potens
Tentat labor! vel Męzyçi tu
Testis eris benè cultus æuo.
Est credo durum, nam absq; onere est honor
Nunquam; perenni nec sine honore onus
Ergo fidus sis, & labores,
Peruigiles Academiæ orna.
Perge ire prudens, Herculeis comes
Inc yte fili, perge laboribus.
Quidquid remansit pristinum, illud
Abijce, monstra superba frena.
Cuncta vt recedant, scilicet otium,
Contemptus, altus tum q; animus, tumor,
Sertum virde olens, palmæ trophæa
Lætaq; victor ab arte sumes.
Palmam virentem ponderibus suis,
Vt fama maior tendat in altius,
Summasq; ad Arctos surgat inde,
Gloria syderibus reposta.
Succussa tellus nec pelagus furens,
Nec Parca mordax, non Boreas tibi,
Nec mucro perdet, nonq; Cori
Flamina; nam effugit illa bustum

Sed dum efferet sese alta petens semel
Euecta sedes ad superas, tenet
Has tuta in æuum (nunc licet sit
Ardua) nec moritura viuit.

MELCHIOR MEDSICIVS
Per Anagramma
DICES HIC MELIOR SVM.

Dum tibi fida nouos ACADEMIA promit honores,
Visa est vox superum, talis ab arce dari.
Proemia virtutem cumulant, vt viuere possis
Æternùm, & crescant gloria, nomen, opes.
Te modo si feruor, studij si accenderit ardor,
DICES HIC MELIOR, SVM modo quam ante fui.



